



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. III. An peregrini & vagi teneantur præceptis locorum, in quibus
morantur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

pus: quando autem pervenit ad alium locum, desinit obligari. Nec obstat, quod prævidens impedimentum teneatur prævenire; quia id tunc tantum verum est, quando manente vi præcepti quis est impediendus: hic autem ab obligatione præcepti absolvitur. Contraria tamen sententia, tanquam magis pia, suaderi potest; nisi quid obstet. *Sanch.* 1. *mora. cap. 12. & l. 3. de mar. d. 18. n. 21.*

DUBIUM III.

An peregrini & vagi teneantur præceptis locorum, in quibus morantur?

Resp. Regulariter non tenentur præceptis specialibus illorum locorum. Ita *Laz. Sanch. Azor, König. Less. Regim. Fill. contra Navar. Suar. Sa. & c.* (& quoad vagos, etiam contra *Bon. & Sanch.*) Ratio est, quia non potest dari ulla ratio hujus obligationis, cum illi non sint subditi, vel locis, vel superioribus, quorum tales leges fuerunt, ideoque extra eorum jurisdictionem. Nec obstat 1. eos nullis partialium locorum statutis, sed solo jure communi teneri; quia id non est absurdum. Nec 2. quod vagi, ob delicta admessa, puniri possint: hoc enim consuetudo recepit, ne scelera maneant impunita.

Dixi 1. *regulariter*, quia tenentur quibusdam legibus, maxime quarum violatio cederet in damnum, & injuriam illius loci, in quo morantur, ut etiam iis, quæ sunt de contractibus celebrandis. *Vnde resolves hos Casus.*

I. Tales non tenentur audire Missam, & possunt

sunt opera servilia exercere die istic festo; non tenentur jejunare nec abstinere à carnibus, quando istic est jejunium, & domi suæ non est. Intellige utrumque, secluso scandalo, propter quod Episcopus loci punire posset. *Laym. l. c. t. 3. c. 12. num. 4.*

II. Peregrinis non licet frumenta evehere, vel vendere, supra pretium ibi statutum, noctu arma ferre, &c. si talia ibi prohibita sint. *Panorm. Reg. Sanch. n. 30.*

Dixi 2. *præceptis specialibus*: quia si domi tuæ consuetudine derogatum sit alicui præcepto juris communis, & aliò venias, ubi illud viget, eodem obligaberis. Ratio est, quia lex juris communis est universalis, & obligat omnes sine ordinae ad locum. *Laym. c. 12. n. 3. Unde resolvitur hic Casus.*

Belga aliquis veniens Coloniam, v. g. tenetur istic sabbathis inter Nativitatem Christi, & Purificationem, abstinere à carnibus; quia privilegium ejus comedendi tunc carnes, non est personale, sed locale: ideoque expirat extra locum. *Laym. l. c.*

DUBIUM IV.

An Peregrini teneantur præceptis juris communis, si non sint in usu in loco, ubi morantur?

Resp. Non teneri. Ratio est, quia tunc valet privilegium locale, quo frui possunt omnes, qui in loco morantur. *Ita San. I. mor. c. 12. Suar. Lay. &c. Unde resolvuntur sequentes Casus.*

B 3

I. Si